IN FESTO SS. JUSTÆ, ET RUFFINÆ,

SORORUM VIRGINUM, ET MARTYRUM HISPALENSIUM.

DUP. SECUNDÆ CLASSIS. EXTRA DIOEC. Hisp. Duplex.

Omnia ut in Communi Virginum, his exceptis, quæ hic aſsignantur.

AD VESPERAS.

Antiphona. Hæc eſt virgo sàpiens, *cum reliquis de Laudibus, Pſalmi de coi. Virginum,*

Capitulum.

FRatres, qui gloriâtur, in Dòmino gloriêtur. Non enim qui ſe ipſum commèndat, ille probâtus eſt; ſed quem Deus commendat.

Hymnus.

SAlvête, claræ virgines,
Tutelà præſens pâtriæ,
Virtûtis, & cōſtântiæ
Exēplar admirabile,
Non vos chalybs rigêntibus
Dum nectit artus annulis,
Nec làminis candentibus
Catàſta terret ignea.
Nec confragóſa rùpium
Calcáta nudis plàntulis
Fregêre vos diſpèdia,

Sed

Sed hinc fides fit àcrior.
Deinde victo sæculo,
Cœli subiſtis àtria,
Ruſfina fuſo sàngui-ne,
Et Juſta digna nòmi-ne.
Roſiſq; purpuràntibus
Confeſsiònis inclytæ
Intexuiſtis càndida
Integritâtis lilia.
Ergo triùmphi nòbilis
Sacris revinctæ làu-reis,
Palmas refèrtis dùpli-ces,
Agnum ſequèntes prævium.
Te, Dux, corôna Màr-tyrum
Cum Patre, Chriſte, & Spiritu
In Trinitàte ſimplici
Ætèrna laudent ſæcu-la. Amen.
℣. Adducêntur Regi vir-gines poſt eam. ℟. Prò-ximæ ejus afferèntur tibi.

Ad Magnificat in utriſque Veſperis Antiphona.

Prudèntes virgines, ap-tàte veſtras làmpades: ecce ſponſus venit, exite obviam ei.

ORATIO.

DEus, qui virtùtem tuam in vaſis fi-ctilibus (ètiam fràgilis ſexus) recòndens, ſan-ctis virginibus, & mar-tyribus tuis Juſtæ, & Ruffinæ mirabilem fi-dei conſtàntiam tribuì-ſti: da nobis eàrum pa-trociniis, in tui amôre perſeverâre, & ad cœ-lèſtem corônam perve-nîre. Per Dòminum.

Deinde fit commem. de Feſto præcedenti. In Diœceſi Hiſpalenſi de Triumpho S. Crucis.

Antiphona. O Crux benedicta, quæ ſola fui-ſti digna portare Regem cœlòrum, & Dòminum.
℣. Adoramus te Chriſte, & benedicimus tibi. ℟. Quia per Crucem tuam redemiſti mundum.

ORATIO.

DEus, qui per Cru-cem tuam pòpulo in te credènti trium-phum contra inimicos concedere voluiſti; quæ-ſumus, ut tua pietàte, adoràntibus Crucem, victòriam ſemper tri-

buas,

buas, & honórem. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre.

AD MATUTINUM.

Invitat. Regem virginum Dóminus. * Venite adorémus. *Psal.* Venite.

Hymnus.

Quid sævæ tortor ùngulis,
Judexque fractis, virginum
Pusquam virîlis indolis
Miràris indolèntiam?
Virtûtis hoc altissimæ,
Agnósce munus, perfide,
Firmissimam constántiam
Qui debili dat sèxui.
Sævire in actus fictiles,
Mercésque eàrum tèsteas,
Sed non potèstis condítas
In his faces extinguere.
Quas ardor almi luminis
Accendit, & dulcissimas:
Sponsus cadentes excipit
Christus bràvium martyrum.
Et nunc precàntur sedule
Pro gente Pàtrem, & Filium,
Et Spiritum Paràclitum,
Qui regnat omne in sæculum. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de virginibus præceptum. *ut in Communi.*

IN II. NOCTURNO.

Ex S. Isidoro, & Breviariis Hispaniæ.

Lectio iv.

Justa, & Ruffina sorores, Hispalèntes virgines castissimæ, facultatibus páuperes, sed virtùtibus locuplètes, cùm Diocletiánus in Christiános sæviret, fictilium mercimónio sese alebant, & tenuitate egènos sustentàbant. Religiósè itaque, & in magna concórdia do-

mus suæ curam gerentes, vitam inculpatam transigèbant. Accidit autem statûto quodam die Hispali Adonia celebrari. In quo festo mulièrculæ quædam cum sôlitis ejulatibus, & clamoribus Salambòne simulàcrum (sic Vènerem Syri vocant) in pompa circumferèbant, & ab omnibus passim in ejus dæmonis cultum àliquid erogari efflagitabant. Quæ cùm ôbiter à sanctis sorôribus stipem postulàrent, nec quicquam extorquèrent, una ex eis quæ idôlum bajulàbant, omnes fictilium merces indignabùndâ confrêgit. Sed sanctæ virgines non frivolæ rei detrimènto commôtæ, sed religiônis zelo succènsæ, nefârium simulàcrum â se dejecèrunt, quod terræ illîsum, & comminùtum, fictile etiam se probavit.

℟. Propter veritâtem, & mansuetùdinem, & justitiam; * Et dedùcet te mirabiliter dextera tua. ℣. Spècie tua, & pulchritùdine tua intende, prosperè procède, & regna. Et dedùcet.

Lectio vi.

RE autem àd Diogeniânum, Provinciæ Præsidem, delata, quasi impietàtis reas capi, & ad se adduci jubet. Quæ cum coram eo consisterent, de religiône interrogatæ, se Christi famulas, & pro ejus nòmine mori paràtas esse, intrepidè responderunt. Admovèntur ergo varia, & horribilia cruciàtus instrumenta; ac virgines hilares, & Christum invocàntes, equùleo suspènsæ ferreis ùngulis exaràntur. Sed cùm in fidei confessiône constantes, fessis etiam tortòribus persisterent, in càrcerem tradi, & inde aliquot post dies extrahi jubèntur: ut se longo itinere in loca ad montes Mariànos sita (quæ sibi

sibi juris dicendi causa eûndum erat) sequerentur ; existimans ejus itineris difficultate, earum constantiam vinci posse. Sed Divina virtûte imbecilli sexui vires suggerènte, rùpium, & montium prærùpta, & aspera nudis pèdibus magna animôrum alacritate : superarunt, & incolumi fide Hispalim redièrunt : ubi cum sævissimus iterum cruciatibus eârum fides frustrà tentata est. Quorum immanitate, & diutùrno càrceris situ, & fame, Justa enècta, Deo spiritum reddens, adduplicem corônam evolavit.

℟. Dilexisti justitiam, & odîsti iniquitatem: * proptèreâ unxit te Deus, Deus tuus òleo lætitiæ.

℣. Propter veritâtem, & mansuetùdinem, & justitiam. Proptèreâ.

Lectio vi.

RUffina verò ad ália certámina sanctissimæ sorori superstes, Præsidis jussu, in arènam prodùcta (ut sanctus Isidòrus refert) fèrocissimo leòni objecta est. Qui, quasi virtûtem cælèstem agnòsceret, illæsam eam, & intactam reliquit. Redùcta ergo in cârcerem, fractis a lictôre cervicibus, gloriôsum martyrium in vinculis consummâvit. Cujus corpus á carnificibus in eamdem arénam tractum combùstum est. Ossa âutem â Sabino Hispalènsi Episcopo collècta, & in subùrbano cæmetèrio honorificè sepùlta sunt cum sorôris Justæ còrpore, quod è profundo pùteo, in quem jussu Diogeniàni præcipitátum fuerat, idem sanctus Episcopus extràxit.

℟. Afferentur Regi virgines post eam, pro-

ximæ

ximæ ejus. * Afferentur tibi in lætitia, & exultatione.
℣. Specie tua, & pulchritudine tua intende, prospere procede, & regna. Afferentur. Gloria Patri. Afferentur.

IN III. NOCTURN.

Homilia in Evangelium.

Simile erit regnum cælorum decem virginibus.

AD LAUDES.

& per Horas. Aña.

HÆc est virgo sapiens, & una de numero prudentum. *Ps.* Dominus regnavit *cum reliquis de Laud.* *Aña.* Hæc est virgo sapiens, quam Dominus vigilantem invenit. *Aña.* Hæc est quæ nescivit torum in delicto: habebit fructum in respectione animarum sanctarum. *Aña.* Veni electa mea, & ponam in te thronum meum, alleluja.

Aña. Ista est speciosa inter filias Jerusalem.

Capitulum 2. Cor. 10. d.

FRatres, qui gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui se ipsum commendat, ille probatus est; sed quem Deus commendat.

Hymnus.

ADeste, sacræ virgines,
Quas cura fecit pervigil,
Sponso vocante ad nuptias,
Claras referre lampades.
Jam nigra noctis orbita
Ad mane clarum vertitur,
Vincant timores turbidos
Æterna lucis gaudia.
Aperta vobis janua;
Sponsum vocat, succedite;
Sparsasque nostris fletibus
Offerte palmas nobiles.
Offerte fusum sanguine
Christo immolatæ victimæ,
Quo martyres sanctissimæ

Ve-

Vestram beâstis Hispalim.
Ut ipse nostræ Ecclèsiæ
Preces benignus audiat,
Et dones indulgèntiam
Vestris rogâtus civibus.
Virtus, honor, laus, glòria
Deo Patri cum Filio,
Et Spiritu Paraclito.
In sæculórum sæcula. Amen.

℣. Adducèntur Regi virgines post eam. ℟. Pròximæ ejus afferèntur tibi.

Ad Benedictus. Añã. Prudèntes virgines, aptâte vestras lampades: ecce sponsus venit, exitè obviam ei.

ORATIO.

DEus, qui virtùtem tuam in vasis fictilibus (etiam fragilis sexus) recòndens, sanctis virginibus, & martyribus tuis Justæ, & Rufinæ miràbilem fidei constàntiam tribuisti: da nobis eárum patrocíniis, in tui amôre perseveràre, & ad cæléstem corónam pervenire. Per Dòminum.

Miss. Loquebar, *Epist.* De virginib. *orat.* 1. *prop. Secret. & post Commun. pro pluribl Virg. & Mart. Ext. Diæc. sine Credo.*

HIS-

HISPANIARUM.

AD enixas, piasque preces per Eminentissimum, & Reverendissimum Dominum Cardinalem Portocarrero nomine Catholicæ Majestatis Hispaniarum Regis SS. Domino nostro Benedicto Papæ XIV. porrectas pro extensione Officii proprii cum Missa in memoriam SS. JUSTÆ, & RUFFINÆ *VV. & MM. jam pro Diœcesi Hispalensi approbatorum, ad Clerum Sæcularem, & Regularem universæ Ditionis præfatæ Majestatis Catholicæ die decima nona Julii celebrandi, Sanctitas sua extensionem Officii prædicti sub Ritu duplicis minoris, servatis tamen Missalis, & Breviarii Romani Rubricis, benignè concessit. Die 15. Aprilis 1752.*

D. F. Cardinalis Tamburinus,
Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

M. Marefuscus S. Rit. Congregationis,
Secretarius.